AREOPAGUS POLONIÆ

in Flore,
ad ferias Apriles
reaſſumptionis ſuæ
in

Illuſtriſſimo ac Reverendiſſimo Domino



FELICE KRETKOWSKI

Nominato Epiſcopo Culmenſi & Pomeſaniæ.
Ecclesiæ Metropolitanæ Gneſnenſis, Præpoſito & Sede vacante Archiepi ſcopatûs Gneſnenſis Adminiſtratore.
Tribunalis Regni,

PRÆSIDENTE

Illuſtriſſimo & Excellentiſſimo Domino

MICHAELE

in Szędziszow & Czerlenica
à Potok

POTOCKI

Notario Regni, Sokalienſi &c. Capitaneo.
Tribunalis Regni,

MARESCHALCO.

Illuſtriſſimis Reverendiſſimis Excellentiſſimis
Judicibus Deputatis
VERNANTISSIMUS
à
Collegio Lublinenſi Societatis JESV.
Magnis Nominibus devinctiſſimo
SALUTATUS
Anno Domini 1723.



Tamdiu florent Regna, quamdiu viget Justitia. *Savedra.*
Pietate & Justitiâ Principes Dii fiunt. *Augustus apud Senec.*
Fundamentum perpetuæ famæ, est Justitia. *Cic: de Offic:*
Justitiam esse Sanctam, & Sanctitatem justam esse dicam. *Plato in Protagora.*

Hoc uno Reges olim sunt fine creati,
Dicere jus Lætis, injustaque tollere facta. *Hesiodus.*

Jllustrissimus & Rever: FELIX KRETKOWSKI, Nominatus Episcopus Culmensis, & Pomesaniæ; Sede vacante Ecclesiæ Metropolitanæ Gnesnensis, Præpositus; Archiepiscopatûs Gnesnensis, generalis Administrator. Tribunalis Regni PRÆSIDENS.

Jllustrissimus & Excellent: Dominus MICHAEL POTOCKI, Notarius Campestris Exercituum Regni, Sokaliensis &c Capitaneus. Tribunalis Regni MARESCHALCUS.

Collegium Spirituale.

Ex Capitulo Gnesnensi

Jllustrissimus & Reverendissimus. ALEXANDER KOŁUDZKI, Canonicus, Officialis Gnesnensis, Vice Præsidens Tribunalis Regni.

Ex Capitulo Leopoliensi.

Jllustrissimus & Reverendissimus HIERONYMUS JEŁOWICKI, Cantor Leopoliensis, Canonicus Cracoviensis & Premisliensis.

Ex Capitulo Cracoviensi.

Jllustrissimus & Reverendissimus SEBASTIANUS KOMECKI, Custos Cracoviensis.

Jllustrissimus & Reverendissimus STANISLAUS BOREK, Canonicus Gnesnensis & Cracoviensis.

Ex Capitulo Vladislaviensi.

Jllustrissimus & Reverendissimus HIERONYMUS WYSOCKI, Custos Gnesnensis & Vladislaviensis, Abbas Trzemesensis.

Ex Capitulo Posnaniensi.

Jllustrissimus & Reverendissimus MATTHIAS CHEŁMICKI, Canonicus Posnaniensis.

Ex Capitulo Płocensi.

Jllustrissimus & Reverendissimus ALBERTUS MDZEWSKI, Cantor Płocensis.

Ex Capitulo Luceoriensi,

Jllustrissimus & Reverendissimus JOSEPHUS OLSZANSKI, Jnfulatus Olycensis, Canonicus Præpositus Luceoriensis.

Ex Capitulo Premisliensi:

Jllustrissimus & Reverendissimus SIGISMUNDUS DROHOIEWSKI, Decanus Cathedræ Premisliensis,

Ex Capitulo Culmensi.

Jllustrissimus & Reverendissimus FRANCISCUS WYSOCKI, Præpositus & Sede Vacante Administrator Culmensis.

Ex Capitulo Chełmensi.

Jllustrissimus & Reverendissimus FELIX SZANIAWSKI, Canonicus Chełmensis.

Ex Capitulo Kijoviensi.

Jllustrissimus & Reverendissimus ADAMUS WOLINSKI Decanus Cathedralis Kijoviensis.

Ex Capitulo Camenecensi.

Jllustrissimus & Reverendissimus ANTONIUS BRZESCIANSKI, Canonicus Leopoliensis & Camenecensis.

Collegium Seculare.

Ex Palatinatu Siradiensi.
Jllustrissimus & Excellentissimus GEORGIUS WARSZYCKI, Palatinus Łancicensis, Capitaneus Petricoviensis. &c. &c.

Ex Terra Vielunensi.
Jllustrissimus Dominus MICHAEL MĘCINSKI, Subdapifer Vielunensis.

Ex Palatinatu Łancicensi.
Jllustrissimus & Excellentissimus D. JOANNES KWIATKOWSKI Castellanus Inovlodensis.
Jllustrissimus Dominus MARTINUS DZIERZBICKI, Capitaneus Dobscensis

Ex Palatinatu Brest: Cujav:
Jllustrissimus Dominus ALEXANDER WOLSKI, Judex Terrestris Cujaviæ

Ex Palatinatu Inovladislaviensi.
Jllustrissimus Dominus JOANNES RADOIEWSKI, Notarius Terrestris Brest: Cujav,

Ex Terra Dobrinensi.
Jllustrissimus Dominus STANISLAUS ŁOCHOCKI Vexillifer Dobrinensi,

Ex Palatinatu Podoliæ.
Jllustrissimus Dominus THOMAS ZAMOYSKI Capitaneus Grodecensis.

Ex Palatinatu Belzensi.
Jllustrissimus Dominus STANISLAUS POTOCKI Præfectus Excubiarum M. D. L. Capitaneus Rubieszoviensis.

Ex Palatinatu Ravensi,
Jllustrissimus Dominus JOANNES BRATOSZEWSKI, Tribunus & Notarius Castrensis Gostinensis.
Jllustrissimus Dominus JOANNES SZCZAWINSKI Capitaneus Gombinensis.

Ex Palatinatu Mariæburgensi.
Jllustrissimus Dominus PETRUS SARBSKI.
Jllustrissimus Dominus JOANNES FALĘCKI, Burgrab: Culm:

Ex Palatinatu Bracłaviensi,
Jllustrissimus Dominus STANISLAUS SUCHORSKI Judex Terrestris Bracłaviensis & Castrensis Luceoriensis
Jllustrissimus Dominus PAULUS JAROSZYNSKI Dapifer Bracław:

§§§§§§§§§§§§§§§§§§§§§§§§§§§§§§§§§§
§§§§§§§§§§§§§§:§§§§§§§§§§§§§
§§§§§§§§§§§§§§§§§§§§§
§§§§§§§§§§§§
§§§§§§§
§§§§§
§§§



PROPHASIS PANEGYRICA. ad CELSISSIMUM AREOPAGUM POLONIÆ.



Terum VOBIS, meritorum VESTRORUM pedisſequa occurrit Panegyris. JUDICES JLLUSTRISSIMI. Ut aures ſortiri mereretur, non tam dicendi argumento ſenſuque gravis, quàm VICEREGIÆ poteſtatis preſſa pondere, ad pedes ruebat Oratio; hodie porro animoſior, ſê ultra aſſurgit ſublimiùs, imperio VESTRO, ſuccolante. Comparet Scilicet, in TRIBUNALI VESTRO. adcitata facundia, cui ubi, diem dixeritis, eam, publicam in lucem edi decreviſtis. Comparet in REGNI FACIE Suada, Sed, tenuitatis ſuæ convicta, demiſſo ſupercilio, pallido vultu, totis contremiſcens membris: pallorem ſcilicet, vel prima ſui facie, pagina induit PURPURATIS coram PATRIBUS, quòd juxta Virtutes Veſtras, atque titulos Jlluſtriſſimos, atratis præli umbris depingat. Creſcit tamen in Regale folium chartæ exilitas, ampliſſimis aucta NOMINIBUS, & titulis ampliata VICEREGIÆ MAIESTATIS: quam enim ſua exilitas coarctavit, à VESTRA magnitudine grandeſcit, ad nativos Splendores VESTROS ſerenatur pagina. nativum excutit pallorem, in ſepiæ vicem, VESTRO tincta murice. Tantis proinde, adaucta munimentis, decoribus illuſtrata, ac præſidiis munita, gloriæ VESTRÆ monumentum, campumque dicendi ampliſſimum defigit in pagina, in qua tunc etiam vocaliores VESTRÆ declamantur Virtutes, cùm declamari deſiêre. Vocibus Oratoriis celebratæ

bratæ Laudes, in calamos illapsæ, ævum sibi vendicant, ne pereunte vocis sono, perire ac emori quoque cogantur, immortalium elogia meritorum. Canit vocaliùs æquitatis VESTRÆ præconia, Famæ, classicum? quidni vel exanimis pagina, continuandis Laudibus VESTRIS vocem induat? feracitas Tulliani Campi; Virtutum fertilitati respondeat! Nisi pergrato obstrepant murmure! in Lethen degenerabunt fontes Oratorii. Nimium breve meritorum stipendium est, si non ultra eloquii limites, procederet gloria, & quiescentis facundiæ silentium, lux publica non interrumperet. Ut gementium allevietis Onera, gemmeo diffluitis sudore; & refundi VOBIS, vestris laudibus exaratam sepiam non patiemini? Quo deciditis Causas, stylus acuitur, THEMIDIS gladio, humi repere assuetus character, ad sublimiorem eluctatur dicendi apicem, summorum bajulus Nominum, in Libra THEMIDIS pretio elevatus. Nimirum auspicatò faciem illam, quæ totius Sarmatiæ est, accipit pagina, grave exporrigit supercilium, propeque serenissima fronte radiat, Jngenti VESTRO spiritu afflata Oratio, meretur sæculum. Teretur Omnium manibus, Magnatum subintrabit Augustalia THEMIS, ubi vestra NOMINA, prima in fronte prætulerit. AREOPAGUM inflore prius esse, quàm dici effecistis. quid mirum? Flos Nobilitatis estis. VOBIS aut violæ concolores, aut proprio depictæ cruore Rosæ Purpurarum. Non metaphoras loquor, à quibus, tam procul translatæ Oratorum laudes, quàm vobis propiores Virtutes, quia propriæ. Non dictis phaleratis effingo facta, sed quo THEMIS VESTRA obnubit frontem, & modestia celat æquitatem, velum amoveo, ut Orbis miretur. ARISTIDES POLONIÆ (quibus nulla dies sine linea æquitati parallela) meliore Zeuxis penicillo, Divinioris Jconem ASTRÆÆ, velato vultu, sed mente legum perita, sed perspicaci lumine, se totis depinxisse. Sed quid ego parvam dictionis Celocem immenso meritorum committo Oceano, & Laudes coarcto, ubi ampliare intendo? FLOS AREOPAGI, estis. centifolium elogiorum meremini. Fundendæ, omnium panegyri, unus non Sufficit Calamus; Faciem Regni præsertim, Jgitur totius Sarmatiæ Ore celebrandi. In partem laudum Vestrarum ibit Societas minima, profanas ultra exedras, ad Aras disertissima. Vnicum quod Areopagi Flori, superaddi possit. Vestra perennitas sit; pulchro canescat senio, vestra dignitas, Seculis & Nomen Vestrum floreat & ætas.

Jta precatur,

JLLUSTRISSIMIS JUDICIBUS

Obligatissimum Collegium Lublinense.
Soc: JESU.

Jllustris





Uper trabeatam SIRADIAM, VICE REGIÆ POTESTATIS VESTRÆ Faſcibus devinctam, Majorem POLONIAM, PRVSSIAMq; Regalem, arctiori legum nodo mancipatam, Honoris VESTRI viâ Appiâ duxiſtis in Triumpho; hodie tandem, in AREOPAGO Lublinenſi, ideſt MINORIS POLONIÆ, RUSSIÆ VOŁHYNIÆ. dicam veriùs SARMATIÆ univerſæ CAPITOLIO, Triumphantis ASTRÆÆ Caput redimitis adoreâ. IUDICES CELSISSIMI VICE REGES AUGUSTI. Attollitis Cervi coronati Palatinatûs Lublinenſis pretium in immenſum, cujus diademati aureo, Culmenſis Tiaræ Clenodium. Gemmam PRÆSULUM, & unà Mitris Principum aſſuetam POTOCCIORUM CRUCEM inſeritis. Talibus proindè cimeliis ambimini, propè Sereniſſima IUDICUM CORONA, & jam non modò diem dicitis, verùm accenditis Sereniorem, in libra Themidis SOLONES, omnium Vota coronaturi. à VOBIS itaq; continuatis AREOPAGI noctibus, ſopitæ necdum Cauſæ, perplacidam quietem; fluctuans actio, ad bonæ ſpei promontorium, exorat, ſperatq; malaciam. Quæ enim PROVINCIIS aut laus præ-

ſtabilior? aut felicitas amplior affulſiſſe potuerit? quàm JUDICES CELSISSIMI, Virtutum meritorumq; pondere in lance THEMIDIS pretiô elevati? Nomine ingentes, MAGNATES, Proſapiæ dignitate QUIRITES? qui ut vivunt ad JURA ſtabilienda, & commoda TERRARUM, ita ad perenne AREOPAGI decus, & ornamenta Seculorum reſplendent. Jta vocalioribus Famæ lituis, ad conſonam legum harmoniam audîſtis optimè. cùm enim SIRADIENSEM POLUM Zodiaco Honoris VESTRI irradiaretis, jam longè latèq; NOMINIS VESTRI radios diffudiſtis. Vbi verò die Solis, arridente amæniore vultu, Orbi & Vrbi Minoris Poloniæ JllUSTRISSIMI MARESCHALCI intuleritis Majeſtatem; Oquantis geſtientis animi tripudiis, fora perſonabant! Quæ plaudentum agmina! Qui Juvenum Senumq, chori! Jam rhedis prævolare alii, cingere latus ceu Titanem radii; Omnes longo ordine veluti triumpho graves ſubſequi! cataphracti Heròés, vultu, animo gaudia

Claudian: & trophæa præferre! *Cernis ut Armorum Proceres, legumq; potentes Patritios Sumunt habitus, & more Gabino, diſcolor inceſſit legio,* Et meritò. Quæ enim *Sceptris propior Facies? Quis dignior Aulâ, Vultus erit* Fronte MARESCHALCI? Ferebaris Bucephalo, CAMPIDUCEM inter & PALATINUM medius, ideſt REIPUBLICÆ CORPORIS COR & ANIMA, GEMMA carior PROCERUM circumfuſus CORONA. Spectâſti populis referta tecta ac laborantia, ac ne eum quidem vacantem locum, qui nonniſi ſuſpenſum & inſtabile veſtigium caperet, oppletas undiq; vias anguſtum tramitem TIBI, Audita vox etiam, Celſiſſimi Tribunalis Regni MARESCHALCUS,

Secun-

ſecundo refert ingreſſu, Cæleſtem JUDICEM MICHAELEM, Nomine, Animo, SE TOTO. Revehunt terris THEMIDEM Ad Ferias Apriles JUDICES Florentiſſimi: Quidni ſit in Flore AREOPAGUS POLONIÆ?

Vernat ad Violas PRÆSULIS CULMENSIS, JLLUSTRISSIMI REVERENDISSIMI TRIBUNALIS REGNI PRÆSIDENTIS, Felix Juſtitia et juſta Felicitas. Securo incedit paſſu æquitas, Patritiâ ſuffulta Soleâ, Præſuleo ſubnixa pedo. NOMINATUM TE, ad Culmenſem Jnſulam promulgavit Varſavia, ut in illo Sarmatiæ meditullio, Omnium conſenſu Ordinum, poſt repetitos toties, deſudatosq; labores AREOPAGI, in PURPURATORUM quieſceres Subſellio. Vix enim bene purpureo Filo inſtructam, Amphion pulſavit Citharam, exnunc geſtire tripudiis, Colles Culmenſes videbantur; & penè immoriens Fato CASIMIRI lugubris Diecæsis exuit dolentium habitum, cùm primò inaudiit, emeritos KRETKOWSCII lacertos amiciri purpurâ. vultûs mærore corrupti, lachrymas abſtergente. Expâlluit verò ad MURICEM perfrictæ frontis hæreſis; timuit nempè gigantomachia GNESNENSIUM Aquilarum Fulmina; imo jam ſenſit vicinum FLAMINEM hæreſeos hydra, utinam ad pœnitentiæ cinerem Avitâ Soleâ conterenda! Sortiris FELICEM PRÆSULEM, Tribunalis Regni PRÆSIDENTEM, toties convicte error impie! Scelus neſandum ejura, condemna, quod proſcribere parat KRETKOWSCIUS Juſtitiæ corona eſt Præſulea MITRA collata PRÆSIDENTI TRIBUNALIS REGNI, priùs THEMIDIS bilanci, quàm Capiti inſerta. Deciſa Meritorum æquilibrio Culmenſis T I A R Æ

dignitas, dum neque supra Præsuleas dotes eminuerit Jnsula, nec TU infra Jnsulam descenderes. Cingat igitur tiara, mento mentisq Senio veneranda tempora, VITTA vitam proroget, vires adamantinas PRÆSULEUS sculpat honor annuli meliore Lapillo.

Ut digna Tê, JLLUSTRISSIME EXCELLENTISSIME TRIBUNALIS REGNI MARESCHALCE, elogia exaremus, TU REGNI pennam porrige, quam TIBI SARMATIÆ cessit AQUILA, Adaptavit POLONIÆ Fortuna. Scipione MARESCHALCI, in Mercurii caduceum transplantato (ne infra TE minores repant laudes) stylum eleva: nisi enim suffulcias, prægravi meritorum Tuorum mole, lassata Orationis membra, succumbent; exanimis cadet dictio pneumate spoliata. Verum equidem encomia Tua, non calamis sed ferro Gradivi exculpta; marmoribus, non paginis inserta, cedris non foliis illata; quia perennia. Scribuntur alibi Ducali CLAVA, quia heroica, REGIO exarantur SCEPTRO; quia pro REGE, & libertate desudata. Etiam Oratores Tui Orbis SARMATIÆ PACATUS, Gallicanus Hercules, cùm omnium devinxeris, animos. ASSERTOR libertatis. Tacitum tamen vocalior Nominis TUI gloria excludit, Romano Florô dignior, qui virentes TUAS laureas, stylo vernantiore, annalium Fastis annumeret. Rotabas triumphalem ensem? & Fortunæ rota, SARMATIÆ volvebatur. Detonabas in hostem Flammas & ignes spirans JUPITER! & gemma libertatis carior, animorumq; unio nascebatur, hæc inter fulmina. Ne quid verò integritati gloriæ TUÆ decerptum videretur, artus hostiles diminuebas, amputabas hostium ca-

pita Polone Hercules, ut acephalos Orbis crederet, si qui hostium, cum Ducibus POTOCCIIS, inconsultis armis, congredi præsumerent. Sed hic elogiorum labor, Seculorum est, non momenti. Non ego Centimanos heroas TUÆ contulerim dexteræ, gladium MARTIS, REGNI pennam, Scipionem MARESCHALCI complectenti, quæ cùm tot una, honorum coacervet insignia, Virtutisq; heroicæ congiaria, impletur necdum, Summorum capax REGNI Fascium. Evigila cum LESCONE NIGRO Polona THEMIS, si hucusq; Miltiadis, non tua somniasti trophæa; en iterum Collium Lublinensium vertice, supereminet MICHAEL; Dux è Cælo Fulmineus, Cælestis in terris JUDEX MARESCHALCUS, Corpus scilicet POTOCCII subintrat MICHAEL, & artus superinduit. Librabit proinde rerum Causarumq; momenta, ARCHANGELI bilance, Causas decidet gladio MICHAELIS, CRUX verò purpurea, AREOPAGO POLONIÆ, & Judicio universali prodroma, DEI HOMINIS & POTOCCIORUM insigne est. Eadem POLI & POLONIÆ PRINCIPIS FAMILIÆ tèssera; Empyreo effluxit PILAVA. CRUX murice tincta, Cælis consanguinea. Hinc colligimus veluti cruci, Celsissimæ POTOCCIANÆ DOMUI pietatem affixam. Comiter habes JLLUSTISSIME TRIBUNALIS REGNI MARESCHALCE, in terris hospitem NEPOMUCENUM, imò jam TIBI domesticum, quia ditionum Tuarum inquilinum. Replicat se JOANNES in tot statuis à Te erectis, in Saxo spirat gratias & thaumaturgus est; Hic tamen Sigilli tenacissimus, Cælo declamat TUAM pietatem. Lapides

B por

porro Craſnoſtavienſis Baſilicæ, pari REGIB'US & POTOCCIIS Majeſtate, magnificè evectæ, & plusquam Phrygiis periſtromatibus inveſtitæ, ùt perennant in TUÆ gloriæ monumentum; ita in vocaliores panegyres, ceu Memnonis ſtatua, ſaxa animantur, Jncineratæ LOJOLÆ Sarcophago Stellæ, an veriùs Cæleſtes linguæ (non enim terris intumulari potuerat JGNATIUS, quem, propiùs Cælo radiantem, ſurgente Coloſſo, admovīſtis:) immortalia ſpirabunt TUI elogia etiam poſt funera. Quas vero de ſubacta Japone, decerpit laureas JNDIARUM Domitor, ſubterranei Orbis TRJUMPHATOR, ſub victorioſo PILAVÆ ſigno XAVERIUS, his nectet TUO Capiti, multa cum laude Coronam. Dies me deficeret, ſi per Celſiſſima POTOCCIORUM Nomina, obligatam circumducerem panegyrim Principum Mitræ, Præſulum TIARÆ, Ducales Clavæ, (ſucceſſione quadam VESTRIS manibus hæreditariæ,) Regni SCIPIONES, Obſignatorii ANNULI; Faſcesq; Senatorii; qui DOMI Veſtræ conſenuerunt, Oratorium excedunt numerum. Quid enim anguſtiore periodi arctentur ambitu? cùm Orbem ſuperent. Auxiſtis Aras Antiſtitibus, Curules Senatoribus, Caſtra Ducibus implêſtis POTOCCII, Togâ Sogoq; ornatiſſimi; meritis Sarmatiam, Univerſum Famâ peragrâſtis. Et quamvis Regna limitibus definiatis POLONIÆ Magniq; Ducatus Lithvaniæ EXCUBITORES, VESTRA tamen gloria ignorat terminum. Virtus procurrit in immenſum. Unicus CELSISSIMUS REGNI PRJMAS THEDORI ethymo Cælorum munus, ſolo Solio Regni minor, major eſt omni elogio. Adeò hic munificentiſſimus FUNDATOR, minimam Societatem

JESU, gratiis obruit, ut tanto ſub pondere ſatiſcens, ferat ægerrimè, non poſſe ſatis laudare PRINCIPEM, cùm plurimùm debeat. Erogat aurum PRINCEPS! & laudes proprias perſonare vetat. Cæterum ſi interdicit vocibus, in ARCHANGELI auguſtal; liberaliſſimus ARCHIPRÆSUL, ſe Angelicè laudari; ideſt communicato conceptu non prohibet. Jgitur temperabimus linguam, ſed mentem, ſed calamos acuemus in ſtylum, quem etiamnum excolit PALATINUS KIIOVIÆ, in univerſitate Roxolana Jmplebimus Celſiſſimis Fundatoriis POTOCCIORUM Nominibus, Regalia folia; foliis panegyres; panegyribus volumina; voluminibus Bibliothecas. Sic legi digna Virtus: NOMENq; erit indelebile VESTRUM.

Aram THEMIDIS ſereniùs irradiatis, Nominibus VESTRIS JLLUSTRISSIMI REVERENDISSIMI, ARCHICATHEDRÆ GNESNENSIS, LEOPOLIENSIS, infulanda CAPITA. Hic JLLUSTRISSIMI REVERENDISSIMI KOLUDZKI, VICE PRÆSIDENTIS TRIBUNALIS REGNI Violis ſociandæ fluxêre ROSÆ, ſolæq; merentur DIVINO pollice carpi. Qui enim intricatos cauſarum nodos gordios, ſolvere didicit ALEXANDER, devinctum TIARIS ſubmittet Verticem; purpureum orientem prenſabit dexterâ, dum ejus digito, Orbis Præſulei annuli ſufficiet. Jn arcum ſe flectit triumphalem, JLLUSTRISSIMI REVERENDISSIMI JEŁOWICKI avitum inſigne; hac triumphali PORTA, heroes Sarmatiæ. manubias inter hoſtium, laureas revehebant. Olim patefacta triumphis, PORTA. patet MITRIS;

cum omnem lapidem moveat ad HIERO-NYMI ſaxum, meritis obligatus honor, ut primo in limine in pedum offendat ANTISTITIS.

Trium Coronarum JLLUSTRISSIMI CAPITULI CRACOVIENSIS, binæ GEMMÆ; aviti ANNULI JLLUSTRISSIMI REVERENDISSIMI KOMECKI, & SERPENTIS coronati; JLLUSTRISSIMI RVEVENDISSIMI BOREK, utinam Præſulum & Jnfularum! non enim procraſtinabit purpureos faſces, CORVINORUM ales, qui vel ideò os obſignat, ſuo, an PISCATORIS annulo, ne excuſare valeat Tiaras. Quodvero SERPENS attollit, Præſuleus *bonos erit huic quoq; pomo.*

VLADISLAVIENSIS, POSNANIENSIS, PLOCENSIS. CATHEDRÆ, JLLUSTRISSIMI SACERRIMI, THEMIDIS FLAMINES: quorum Jnfulæ bicorni, præludit ROGALA JLLUSTRISSIMI REVERENDISSIMI, WYSOCKI: apparetq; beata pleno copia cornu. Et quoniam, in JLLUSTRISSIMI REVERENDISSIMI CHEŁMICKI eruditam frontem, ſuas congeſſit laureas Minerva; non ſorte cadent in MATHIAM, ſed meritò ruent JNFULÆ, Patritiâ devinctæ FASCIA Vertici laureato. CRUX verò de SOLEA JLLUSTRISSIMI REVERENDISSIMI MDZEWSKI, in pectus abibit Præſuleum, cùm (quantumvis minimè, venales) proſtent meritis Mitræ, ſub haſtis ADALBERTI.

Pari gloriæ Majeſtate comitis Aſtrææ Altaria JLLUSTRISSIMI, CAPITUTI LUCEORIENSIS PREMISLIENSIS, CULMENSIS, CHEŁMENSIS, KIJOVIENSIS, CAMENECENSIS, Violis redimiendi Præſuleis PRÆLATI, JLLUSTRISSIMI

RE

Reverendiſſimi OLSZANSKI aviti ſphæra Annuli meliore fortunæ rota, gyrabit faſces Præſuleos: ita Themidis gladius decidit, ut ſi aliis Apoſtolicæ Sedis gratiâ conſerantur Jnſulæ, meritis accreſcenti JOSEPHO, ex Juſtitia debeantur; Præſuleas Violas Jlluſtriſſimi Reverendiſſimi DROCHOIEWSKI terni humectant FLUVII, ne areſcant, quorum alto meritorum, commenſurari decet eminentioris inſignia dignitatis. Cynthia verò Jlluſtriſſimi Revendiſſimi WYSOCKI, ultra Patritium ſidus, ſtellas Lojolæ ſinu complectens, (quæ Culmenſis adminiſtrationis luce refulget honora) ingeminabit, ſplendore diem, quem purpureus accendet honor. Pari fulgore Jlluſtriſſimi Reverendiſſimi, SZANIAWSKI, JUNOSZA micabit, bono Patriæ non ſibi, aurea ferens vellera, pro focis & Aris, in Heroibus, & Præſulibus, devota Poloniæ & Polo victima. Cùm verò longiùs protractìs meritìs triverit viam Appiam, Jlluſtriſſimi Reverendiſſimi WOLINSKI Solea, ſubſiſtet tandem ad pedum Paſtorale. Ad annulum Præſuleum Jlluſtriſſimi Reverendiſſimi BRZESCIANSKI, collimabit SAGITTA, ſereniusq; avita inter Sidera, Luna micabit, dum plenilunio Præſulei honoris, refulſerit.

Quantùm verò Areopago Poloniæ, majeſtatis accreſcat, ingenti nomine Veſtro, MAGNATES Jlluſtriſſimi? quorum ſinguli Terram, ſinguli Palatinatum refertis, omnes REGNVM. Jn fronte Regni faciei, Jlluſtriſſimi Excellentiſſimi WARSZYCKI Palatini Łancicienſis ABDANK. nomina magna notat, & toto mandat ab orbe legi. Semper ſcilicet WARSZYCCIORVM avita Litera

C magno

magnorum Virorum in Orbe Lechico character est; qui vel Hydras hostiles cum GEORGIO conterunt vi ferrea, vel liberaliùs erogato obryzo vilem depretiant, Cæsarum jactantiam, Herôés ferrei, Senatoresq ;aurei, idest ex utroq; Cæsares.

Madens martyrio MĘCINII cruore ROSA, Jllustrissimi Subdapiferi Vielunensis, de Japoniæ arvis, Elisiis illata, suæ Prosapiæ purpureos pingit honores. Cùm enim LOJOLÆ stellis Jllustrissimos Vestros in ALBERTO infuderitis splendores, radiatis Empyreo; minimæ Societatis atomo, adæquatis Olympum; optimo ROSARUM odore terram & Cælos recreando.

JLLUSTRISSIMI CASTELLANI JNOVŁODENSIS GRYPHUS, vigilias aget aureas supra leges; nec gratiis litabit JOANNES ex Justiniani non GratianiCodicibus sancita decerpturus.

Porrò JLLUSTRISSIMI CAPITANEI DOBSCENSIS, summis Senatorum fascibus innexæ SECURES, securitati Tribunalis Regni providebunt, Ædificationi omnium ASCIA aptissima, collapsas leges eriget, jugulabit crimina.

Quæ verò Jllmi WOLSKI Cujaviæ ARISTIDI nunc Tribunalis Regni Judici Deputato,avito ROLA exarantur elogia, centifolium ROSARUM merentur; Sed hæc nucleo claudi jubet Magnus ALEXANDER, in cujus vastissima mentis Acie,Semper bona causa triumphat.

ALES JLLUSTRISSIMI RADOIEWSKI, Cælo & Astrææ militat; Brestensi Kujaviensi juxta NOTARIO, atq; JUDICI Areopagi DEPUTATO, ad exaranda Decreta, pennam porrigit nefas proscripturo. Jllmi ŁOCHOCKI, Vexilliferi Dobrinensis ARIES, cùm, Zodiaco Cæli, Solis pe-

rennis ſtatio, fulſerit, hoſtiumq; phalanges arietârit, nunc donat ſua tempora Libræ Themidis.

Jam res ad Triarios devenit, ubi HASTARUM ternioni non impari elogiorum acumine, pro Fundatrice AREOPAGI Poloniæ, JLLUSTRISSIMA ZAMOISCIANA DOMO, dimicandum eſt. Regnum una DOMUS hæceſt; in THOMA ZAMOYSKI meritorum abyſſus! PRINCIPUM Familiarum, REGUMq; POLONIÆ nexu, prope SERENISSIMA, CELSISSIMA. Hoc telorum haſtiludio, ad obſignatorios Regni Annulos collimabat honor; Clavas Ducales evincebat. Quod ſi Haſtarum impetu, alta fodiſſet MAVORS vulnera? ſcaturiebat cruor in Sagum ZAMOYSCIORUM, ut purpuras depingeret. Toties venalem fortunam vitamq; Haſtis ſub iſtis, hoſtis expoſuit, quoties pila minantia pilis opponeret. Ubi verò GRADIVO altera, altera MINERVÆ ceſſiſſet HASTA, reſtabat ad triumphorum coronidem, ut HASTARUM reliqua THEMIDI militaret. VOBIS proinde, veluti Soli radii, fontes Oceano, debetur Polona THEMIS. VESTRIS debetur Armis avitis, quòd Cauſarum, veniant innocui & ſine cæde triumphi.

JLLUSTRISSIMI EXCELLENTISSIMI STANISLAI POTOCKI, Lithvanarum excubiarum PRÆFECTI, erga minimam Societatem ingens favor, ut limites ignorat, ita ampliari laudes imperat & panegyres. Jta hic MAGNI DUCATUS LITHVANIÆ HERCULES, inundanti in viſcera Poloniæ hoſtium furori, non PLUS ULTRA, avitâ inſculpſit CRUCE, ut unà, ultra

legum orbitam, divagari prohibuerit crimina, nuper Tribunalis Regni MARESCHALCUS. Cives legibus, Regna limitibus definiens. Et quàmvis detonaturus in nefas, velo THEMIDIS ſerenam obnuberet frontem, oculatior nihilosecius ARGO, extitit limitum Excubitor. Sciſſas Cauſarum redintegravit partes, intumulatam Judiciariæ ſtubæ, animavit æqvitatem! ut ex integro foret STANISLAUS.

Succedunt CELSISSIMORUM PALATINATUUM, RAVENSIS, MARIÆBURGENSIS, BRACŁAVIENSIS TRIARII, Armis Patritiis, pro legum integritate dimicaturi ACHILLES, GERYONES invicti.

JLLUSTRISSIMI nimirum BRATOSZEWSKI, AQUILA, ut irretortâ palpebrâ, in Sole publico Juſtitiæ Soli delicatam intendit Oculorum aciem; ita. in criminum Gigantonomachiam, fida miniſtra Jovis, vibrat fulmina: murum adamantinum cum ſuis mænibus Chriſtianitatis antemurali interſerit, & SAXIS avitis, ceu lydio lapide, ſe probat JUDICEM aureum.

JLLUSTRISSIMUS SZCZAWINSKI, ſui LEONIS naturam induit, inſomnes agit noctes, ut diem dicat: ideſt oculis Leo dormit apertis, templorum idcirco & Aræ THEMIDIS, ſiſtitur, ante fores. Hinc plusquam ad oculum evidentiores demonſtrat Cauſas, quas fucus rationum ſipariis obnubilat. Verbo PRAWDZICIUS eſt, veritatis aſſertor, JOANNES.

Florem purpurarum, JLLUSTRISSIMUM, SARBSKI ominantur LILIA, Niveus aviti Floris candor, ad ſummos Sarmatiæ faſces album

por

c

porrigit calculum. Liliatus eques eſt? evincet proprio tinctam cruore purpuram; & portam honoris auream, deſudatis reſerabit meritis PETRUS, AUGUSTO indulgente.

JLLUSTRISSIMI FALĘCKI, quo, recondat auream honoris meſſem, congiariis quidem va. cuum, ſed meritis plenum præfert ACERVUM. Jnterim, non vanas ſpes alit, maturante fortuna, aſſurget ſê Major JOANNES.

Quæ verò in Caſtro Luceorienſi, multa cum luce cucurrit, JLLUSTRISSIMI SUCHORSKI, Terreſtris Bracławienſis & Caſtrenſis Luceorienſis Judicis, Solis nomine radians SOLEA, Areopago accendit diem, utinam & ſibi purpureum honoris mane invehat! Fauſto omine utiq; , & bonis avibus convolabunt faſces maximi, approperabit Honor firmiore paſſu, CRUCE prodroma, avito ferro ſoleatus. Summo ſcilicet honorum faſtigio, ACCIPITER pennis, AQVILÆ POLONIÆ coævis ſuffragatur, & in libra THEMIDIS elevata, JUDICEM DEPUTATUM ſuccollant merita. Cur enim ALES Patritius Coronam ultra, eveheret SOLEAM? niſi ad ſummos faſcium apices, viam crucis Regiam tereret STANISLAO?

Hucusq; fontes Oratorii, exigua laudum ſcaturigine, Nominibus Veſtris JUDICES florentiſſimi, Areopagum in flore irrigabant, tandem JLLUSTRISSIMI JAROSZYNSKI, DAPIFERI, BRACŁAVIENSIS, ceu rivuli Oceano, terno FLUMINE meritis alto abſorbentur. Hoc alveorum ſinu feliciter navigat libertatis Argo, aureo onuſta vellere. Degenerant latices in Rubiconem,

D quo

quo purpuræ humectantur, ardentem meritorum orexim sopiturum.

Jgitur nonnihil effusæ, ultra brevitatis littora, facundiæ, plus ultra progredi non licet, ubi, Jllustrissimi Judices Terrestres, Palatinatus Lublinensis, & perpetui Dictatores Areopagi, avitum STOINSCII Clypeum, pro terminali præfixerint Columna. Accendunt sereniùs, Orationis lumen GAŁĘZOWSCIORUM SUFCZYNSCIORUMQUE CINTHIÆ, humileque dicendi elogium Crucibus Patritiis elevant, &, ne longiùs soluta pererret facundia, Orationis membris, pretiosas catenas injiciunt HERCULES GALLICI.

Proinde magnis nominibus devinctus, herbam de Campis Tullii decerptam, triumphanti porrigo ASTRÆÆ. Pronus adoro THEMIDIS adoreas Non compsi, Oratorum Floribus Regni faciem, cùm VOS JUDICES JLLUSTRISSIMI Areopagum Poloniæ in flore, venustiùs redimiatis, Jmperiales Coronæ, & meæ coronis dictionis.

D I X I:





